

nequit vocari, cùm pendeat a materiâ; siquidem in quodam organo recipitur, et repræsentat objectum aliquod materiale, præcisè ut materiale seu extensum et concretum. Hinc D. Thomas: « Oportet quod sensus corporaliter et materialiter recipiat speciem rei quæ sentitur. » (in II *de Animâ*, lect. 12).

50. PROP. 2^a: *Potentia sensitiva cum objecto agit ut speciem objecti in se excipiat, et eâ receptâ, movetur ad objectum ipsum percipiendum.*

PROB. 1^a PARS, quia potentia sensitiva, licèt passiva, quatenus movetur ab objecto, certâ nihilominus activitate, imo et spontaneitate prædita est; unde simul ac movetur ab objecto, ei activè respondet et ejus impressionem sibi assimilât. — Præterea species, ex dictis, præsefert objecti repræsentationem; porrò ista repræsentatio non solùm fit in subjecto, sed a subjecti actione procedit, cùm subjectum ipsum sit *spectator*.

PROB. 2^a PARS, quia species sensilis oritur ab actione seu impressione ipsiusmet objecti, sive objectum immediatè in sensum agat, ut in sensatione tactûs, sive mediatè solùm, ut in aliis sensationibus. In omni enim casu, species afficit subjectum, ipsumque movet ad objectum percipiendum, cùm ipsa, ex dictis, imaginem objecti præseferat.

51. *Corollaria.* Hinc sequitur 1^o perceptionem corporum esse *effectum communem* actionis corporum in sensus et reactionis sensuum (1); 2^o perceptionem esse *objectivam* et *immediatam*. Est objectiva, quia oritur ex actione seu impressione objecti in sensum, tanquam a *primariâ* suâ causâ; est immediata, ut ipsa conscientia testatur. Et ratio est, quia ut clare monet D. Thomas, species sensiles sunt instrumentum quo unimur objecto, seu id *quo* percipitur objectum, non autem id *quod* percipitur (2). Ipsæ siquidem, velut modestæ quæ-

(1) « Actus sensibilis et sensitivi est unus subjecto, sed differunt ratione. » (S. Th., in III *de Animâ*, lect. 2^a). — « Sensus in actu est sensibile in actu, quia ex utroque fit unum, sicut ex actu et potentiâ. » (1^a q. 55, a. 1, ad 2).

(2) Species sensilis, quatenus oritur ab actione seu impressione objecti.

dam ostiariæ, rerum fores, prout suum est munus, sensibus aperiunt; at sese non ostentant, quin econtra subducunt se ab oculis.

ARTICULUS II

De sensibus externis.

Sensus externi hoc appellantur nomine, tum quia præseferunt organa externa, tum quia res externas percipiunt. — Dicendum: 1^o De illorum numero; 2^o de comparatione inter illos.

§ I. — De numero sensuum externorum.

52. *Opiniones.* Pervulgata sententia est quinque sensibus externis hominem donari, nempe visu, auditu, odoratu, gustu et tactu, nullumque præter eos alterum existere.

Nihilominus Lockius et Balmès (*Philos. fundam.*, t. I, l. 2, c. 17) dubitant utrùm in homine sint alii externi sensus; et quidquid sit de statu *præsenti*, arbitratur Balmès cum Lamennais, novum sensum externum homini contingere *posse*.

53. PROP. 1^a: *Nonnisi quinque sensibus externis homo instruitur.*

1^o Tot sunt homini sensus externi, quot externa organa ad sentiendum apta. Porrò non sunt homini nisi quinque organa ad sentiendum apta, nempe oculi, aures, nares, lingua et manus. Probatur *major*, eò quòd vis sentiendi organica sit, et, experienciâ teste, non exerceatur nisi ope organorum quorundam distinctorum et *specialium*.

2^o Dubitatio Lockii et Balmès nullo fundamento innitur. Nam quæ afferunt in *sexti* sensûs gratiam probant solùm

dicitur *impressa*; vocatur autem *expressa*, quatenus exprimitur a subjecto percipiente objectum. At hæc duo *simul* fiunt, nec sunt duæ entitates distinctæ, sed eadem res sub duplici respectu considerata. Quare nec viget *realis distinctio* inter sensationem et perceptionem; utraque est effectus communis unius objecti et ejusdem potentiæ sensitivæ.

existere oportere sensus quosdam *internos*, quòd ultrò fate-
mur; vel cum sensatione permiscet *affectiones*, quæ non ad
cognitionem, sed ad appetitum sensitivum pertinent.

3° Alii admittendum volunt sensum quemdam *muscularem*.
At quanquam sensu experiamur musculorum contractionem,
pondus vel renixum corporum, motuum velocitatem ac direc-
tionem, et alia id genus, tamen ea sensatio sextum ac spe-
ciale sensum minimè postulat. Nam ea pro organo habet
extremas nervorum partes sensibiles, in mole musculari dif-
fusas, ac proinde pertinet ad sensibilitatem *generalem* quam
nomine tactus designare solemus.

54. PROP. 2^a : *Novus sensus homini contingere posse non
videtur* (1).

1° Homo positus est in confinio spiritualium et corpora-
lium creaturarum; unde primum obtinet locum inter anima-
lia, ultimum verò inter substantias intellectuales. Porrò, sub
priori respectu, plenitudinem animalitatis, et ideo sensibili-
tatis habet; sub posteriori autem respectu, cognitiones suas
etiam intellectuales *per viam sensus* colligit, ut ait D. Thomas;
hoc autem iterum *completissimam* postulat sensibilitatem,
quæ intelligentiæ optimè famuletur.

2° Rerum natura mutationem nullam pati potest, ut pro-
batur in Ontologiâ. Atqui, si ab homine novus sensus acquiri
posset, natura ejus quodammodo immutaretur. Nam poten-
tiæ, ut suprâ diximus (n. 10) sunt naturales cujusque rei pro-
prietates, quæ ab essentiâ sponte ac necessariò promanant.
— Porrò, allatis argumentis suadet quoque nullum aliud
animal, præter hominem, pluribus ac quinque sensibus ins-
trui posse.

§ II. — De comparatione quinque sensuum externorum.

55. Sensus externi comparari possunt ratione nobilitatis,
certitudinis et utilitatis.

(1) Cf. Arist., *De animâ*, l. III, c. 1, § 1-5; S. Thom. in locum; Albert.
M., *De animâ*, l. II, tr. IV, c. 3-5; S. Bonavent., *De reduct. art. ad Theol.*,
n. 2.

1° Ratione *nobilitatis*, D. Thomas primo loco visum re-
ponit, deinde ordine suo auditum, odoratum, gustum et
tactum. Nobilitatis enim ratio sumitur ex *extensione* objecti
sensuum et ex majori vel minori eorum spiritualitate, ita
ut ille prior sit cujus objectum est universalius et cujus
actus immaterialius exercetur. Porrò sub eo respectu, visus
principatum facilè tenet; si enim *organum* ejus inspicias,
vivum quiddam et delicatum exhibet, præ cæteris sensibus;
unde etiam cogitationes et motus *animæ* quàm maximè
manifestat. Præterea *remotissimas*, vel admodum *tenuis* res
attingit; et *plurimas* rerum apprehendit proprietates; colo-
res directè, indirectè autem *figuram*, *magnitudinem*, *motum*,
requiem, *numerum* et omnia demum sensibilia communia.
— Minor auditus amplitudo, quippe qui ad sonos restringa-
tur. — Medium locum tenet olfactus, qui attingit etiam res
aliquatenus remotas. Illud in eo magis materiale, quòd ob-
jectum ejus alterationis aliquid patiat, spirando odorem;
dum sensatio visus et auditus nullam objecto suo alteratio-
nem affert. — Demum, ut S. Thomas dicit, « tactus et gustus
sunt maximè naturales, » (materiales) (1^a, q. 78, a. 3, c),
cùm gustus objectum in quod agit, actu suo dissolvat, et
objecto suo, ut tactus ipse, jungatur per *immediatum*
contactum. — Cæterum, gustus *intimas* rerum sensilium
proprietates magis percipit quàm tactus, cujus actio ad *ex-
tremas* corporis partes definitur. — Adde tactum corpori *toti
communem* esse (1), eundemque magis *passivum*, si tamen
manus excipias, in quibus tactus majori activitate et per-
fectione præditus est.

2° Ratione *certitudinis*, primas habent partes tactus et vi-

(1) Tactus insuper est cognoscitivus plurium contrarietatum, scilicet ca-
lidi et frigidi, humidi et siccis, et hujusmodi. Unde videtur non esse sensus
unus, sed *multiplex*. — Sic respondet D. Thomas: « Sicut Philosophus
videtur dicere, sensus tactus est unus *genere*, sed dividitur in multos
sensus secundum speciem (et propter hoc est diversarum contrarietatum)
qui tamen non separantur ab invicem secundum organum... Posset tam-
en dici quòd omnes illæ contrarietates singulæ conveniunt in uno ge-
nere proximo et omnes in uno genere communi, quod est objectum tactus
secundum rationem communem. » (1^a, q. 78, a. 3, ad 3).

sus; unde ad fastigium certitudinis designandum per metaphoram dici solet, *hoc tangitur manibus, videtur oculis*; quâ in re prior tactus videtur quàm visus, qui nonnullis illusionibus quandoque subjacere potest, cum rumpunt se radii, vel obest distantia.

3^o Ratione *utilitatis*, tactus et gustus priores sunt, quòd attinet ad necessitates *physicas* animalis; si autem de necessitatibus *intellectualibus* sermo agatur, longè præcellunt visus et auditus qui, ut pulchrè notat S. Thomas, « præcipuè de-
« serviunt humanæ sapientiæ; visus quidem, quantum ad
« *inventionem*, eò quòd plures rerum differentias ostendit;
« auditus autem, quantum ad *disciplinam*, quæ fit per ser-
« monem (1) » (*In epist. 1^{am} ad Cor.*, c. 12, lect. 3, v. 16, 17).

Quia tamen, ait D. Thomas, « omnes aliî sensus fundantur supra tactum » (1^a, q. 76, a. 5, c), eoque utuntur, tactus, eo sub respectu, præ *omnibus* aliis sensibus in omnem influit sensibilitatem, quæ ipsius perfectioni sese accommodat (2). (Cf. S. Th., 2^a 2^æ, q. 144, a. 3, ad 1; 1^a, q. 78, a. 3, ad 3 et 4).

ARTICULUS III

De sensibus internis.

56. *Eorum notio et numerus.* Sensus interni hoc sibi nomen usurpant, sive quòd eorum organa non exterius apparent, sed interius continentur, sive quòd qualitates rerum percipiunt in mente jam receptas per sensus externos, sive quòd, plerique saltem, qualitates corporum attingunt non admodum exteriores, sed magis internas et immateriales, sensibusque externis occultas. — Porrò quatuor ab Aristotele, D. Thomâ, aliisque scholasticis philosophis numeran-

(1) Sub eo respectu, auditus magis utilis esse potest homini quam visus, ut ait D. Thomas: « Plus homo potest cognoscere addiscendo, ad quod utilis est auditus, quamvis per accidens, quàm de se inveniando, ad quod præcipuè est utilis visus ». (*De animâ*, I, c. x, lect. 2).

(2) Cf. *L'Idée du Beau*, p. 112-114 et 165.

tur, nimirum sensus *communis*, *memoria*, *imaginatio*, et sensus *æstimatorius*; quos recentes philosophi intelligentiæ perperam attribuere solent.

§ I. — De sensu communi vel centrali (1).

57. Sensus communis dicitur *facultas quâ sensuum externorum sensationes earumque differentias percipimus sentiendo.*

58. **Assertio**: *Sensus communis existit, et est specialis potentia sensitiva, non intellectiva.*

PROB. 1^a PARS experientiâ: siquidem sentimus nos sentire, v. g., nos audire, videre, et alia id genus, et percipimus etiam nostrarum sensationum discrimina, v. g., secernimus album ab amaro, sonum a sapore.

PROB. 2^a PARS contra Suarezium, qui putavit unumquemque sensum externum uno eodemque actu seipsum et suum objectum percipere. — At 1^o nullus sensus potest sensationem suam percipere; nam unius sensûs unum est objectum; sensatio verò et sensationis perceptio duo sunt planè diversa; unde nullus sensus cognoscit seipsum aut suam operationem, v. g. visus non videt seipsum, nec videt se videre. — 2^o Etiam si quilibet sensus percipere posset actum suum, tamen minimè posset aliorum sensuum diversas actiones distinguere. Nam, ut ait S. Thomas, « oportet quòd qui inter aliqua discernit, utrumque cognoscat. » Sed nullus externus sensus aliorum sensuum objecta vel actus cognoscit: v. g., oculus nequit album a dulci secernere, quia dulcedinem non percipit. Ergo, « oportet ad sensum communem
« pertinere discretionis iudicium, ad quem referantur, sicut
« ad *communem terminum*, omnes apprehensiones sensuum,
« a quo etiam percipiuntur intentiones sensuum, sicut cum
« aliquis videt se videre. » (1^a, q. 78, a. 4, ad 2).

PROB. 3^a PARS contra Reidium ejusque sectatores. — 1^o Sensus communis inest animalibus, quanquam intellectu destitutus; animalia enim sentiunt se sentire, et suas sensationes

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^o part., c. 1, a. 1, § 2.

inter se secernunt; quippe manifestant exterius se affici gratis vel ingratis sensationibus, aliterque se habent prout iis vel istis afficiuntur. — 2^o Refertur ad objectum sensibile, scilicet ad sensationes et ad earum discrimen, prout aliæ ab aliis modo sensibili distinguuntur.

59. Corollarium 1^{um}. — *Hinc* vides recentes erravisse qui a sensu *intimo*, ut vocant, tum sensationes, tum intellectuales perceptiones, tum demum singulas nostras operationes indiscriminatim percipi voluerunt. At repugnat unam eandemque potentiam versari circa duplex objectum proprium, specie diversum, ut supra (n. 14) probatum est. Ergo si aliud est sensatio, et aliud intellectio, aliud est sensitivas, aliud intellectuales cognitiones percipere.

Nec *objicias* attribui a nobis sensui communi duo quæ nonnisi intellectivæ potentiæ conveniunt, scilicet *reflexionem*, et *judicium* quo inter se conferuntur et distinguuntur diversæ sensationes.

Nam sensus communis non, ut intellectus, se suasque operationes percipit, sed tantum sensationes sensuum externorum, idque non actione *reflexâ*, sed *directâ* solum, quod sedulo monitum volumus. — Nec, ut intellectus, *judicat componendo et dividendo*; imò nullam reflexam collationem instituit inter diversas sensationes, at sensilia contraria simul in uno centro conjuncta deprehendit, non tam *judicio* quàm certâ intuitione.

60. Corollarium 2^{um}. — Ex sensus communis notione, colligere est quænam illius *sedes* esse debeat, ut munus suum implere possit et ad sensuum externorum actus concurrere. Nempè in eo corporis loco organum ejus sit oportet, in quo sensuum externorum nervi simul conjunguntur, unde percipiat sensuum diversorum sensationes, tanquam in hoc centro conjunctas: pars autem illa cerebri *sensorium commune* sive *encephalum* vocatur. — Quapropter sensus communis haberi debet veluti *punctum* in lineâ, aut *centrum* in circulo; punctum enim, etsi unum sit, multiplex tamen concipitur, quatenus diversas lineæ partes in seipso jungit, in extremo earum consistens. Et sicut centrum cir-

culi sumi potest vel ut *initium*, unde educere radios, vel ut *terminus* ad quem eosdem reducere licet; ita ex sensu communi, tanquam *radice*, sensus proprii promanant, *instrumentorum* (1) instar, quibus utitur ad facultatem sentiendi diversimodè exercendam, et ad eum, ceu ad *terminum* communem, referuntur in eoque colligantur.

Quare sensus externi et sensus communis in unam actionem et perceptionem *completam* conspirant. Nam sensus externi in propriis organis res externas percipiunt; quia verò eorum organa cum sensu communi per systema nerveum communicant, diversæ sensationes in sensorio communi receptæ *perficiuntur*; unde S. Bonaventura docet sensu communi non novam effici apprehensionem, sed cujusque sensus particularis apprehensionem perfici.

§ II. — De imaginatione seu phantasiâ (2).

64. I. Imaginationis definitio. — Imaginatio, ut ait D. Thomas, ex eo *nomen* ducit quod imagines rerum (non ipsas res), pro objecto immediato et proprio habet. » (*Qq., disp., de Animâ* a. 13, ad 7).

Quoad *rem*, definiri potest facultas quæ rerum corporearum jam perceptarum *species retinet ac reproductit*.

Dicitur 1^o *rerum corporearum*: in hoc cum sensibus convenit, quia propriè sibi non repræsentat nisi res materiales.

Dicitur 2^o *species retinet ac reproductit*; hinc differt a sensibus externis qui percipiunt solum res præsentés, dum sibi repræsentat res absentes, quantumvis remotas, et quidem licèt longum effluxerit tempus ex quo res istæ primùm perceptæ fuerunt. — Quocirca imaginatio solet esse minùs vivida quàm sensatio, cùm minùs distinctæ sint ideoque minùs moveant res absentes quàm præsentés.

(1) « Ubi quæque sint diversæ potentiæ ordinatæ, inferior potentia comparatur ad superiorem per modum instrumenti, eo quòd superior movet inferiorem... Et per hunc modum Philosophus dicit quòd sensus communis sentit per visum et per auditum, et per alios sensus proprios. » (S. Th., *De sensu et sensato*, lect. 19, et 1^a, q. 57, a. 2, c.).

(2) Cf. *L'Idée du beau*, 1^o part., 2^o sect., c. 1, § 2.

62. Imaginatio igitur est propriè facultas conservatrix ut memoria; sed ab eâ specificè differt, tum quia memoria pro objecto habere potest res spirituales haud secus ac res materiales; tum quia attingit præteritum ut præteritum, seu recognoscit præteritum; imaginatio contra non attingit res nisi corporeas, et licèt earum speciem retineat, eas tamen non recognoscit ut priùs a se cognitās.

Recentes philosophi admittunt adhuc imaginationem, quam *creatricem* vocant, quæ diversas sensuum species componit sicque v. g. montem aureum repræsentat, vel etiam varia unius sensationis elementa dividit, ut partem solùm objecti repræsentet. Attamen, ut advertit S. Thomas (1^a q. 84, a. 6, et 2^a 2^æ, q. 173, a. 2 c) imaginatio creatrix propriè in homine solo invenitur et præsertim pendet a rationis influxu seu imperio. — Cæterum, imaginatio reproductrix est potiùs *passiva* et *spontanea*, imaginatio verò creatrix potiùs *activa* et *voluntaria*.

§ II. — Imaginationis essentia.

63. Assertio : *Imaginatio est potentia sensitiva.*

1^o *Habet objectum sensibile*; siquidem, experienciâ teste, nihil imaginatione percipitur, nisi quatenus aliquam figuram induit. Porrò figura est forma quantitatis. — *Hinc* est cur ubi entia spiritualia volumus imaginari, v. g. Deum, vel animam, ea vestimus sensibili quadam formâ, licèt iis nullam figuram inesse sciamus.

2^o *Sine intellectu potest exerceri*; quippe nonnullis belluis inest, quibus necessaria est ut convenientiâ sibi et nociva appetere aut refugere queant, non solùm ubi sensibus obviâ fiunt, sed amotâ quoque eorum præsentia. — Insuper, maximè exercetur in somniantibus, in febricitantibus et amentibus, qui sanè rationis usu non gaudent. — Ex quo fit ut ii non imagines rerum sibi, sed realitatem repræsentare videantur; cùm enim intentio eorum omnino capiatur imagine, non possunt eam cum veritate rei *comparare*, sicque rei *umbram*, ut vulgò dicitur, pro ipsâ re accipiunt.

3^o *Plurimum pendet a conditionibus materialibus*; v. g. ab ætate et locorum situ; ipsa enim est promptior et vividior in infantibus et juvenibus, tardior in maturâ ætate, segnior in senectute, et frigida vel efflorescens, pro locorum situ nubiloso ac tristi, vel amœno et perfuso solis lumine (1).

64. Cùm itaque hæc facultas sit sensitiva, proprio eget *organo*, quod in cerebro reponitur, et quidem, ut multis videtur, in substantiâ ejus externâ et cinereâ (substance grise). Variatur ipsa, impeditur aut suscitatur, pro lassitudine aliisque cerebri affectionibus, ut speciatim videtur in febricitantibus aut somniantibus.

65. Attamen imaginatio ad quamdam *immaterialitatis similitudinem* accedit. Dum enim alii sensus *directè* versantur circa ipsa corpora, prout sunt in seipsis, illa solam eorum *imaginem* speculatur; unde species ejus medium tenet inter species aliorum sensuum et intellectûs, qui format sibi imaginem rerum *idealem* et abstractam.

Adde influxum intellectûs, cui conjungitur immediatè in homine, et quo non parùm nobilitatur. Hinc fit ut varias imagines perceptas pro libitu conjungere possimus, et *fingerè* mirabiles res in imaginatione tantùm, ut aiunt, existentes; quod in animalibus non reperias, quia intellectu destituuntur.

§ III. — Dependentiâ imaginationis a sensibus externis.

66. Assertio : *Nihil sibi repræsentare potest imaginatio quod sensu aliquo perceptum non fuerit.*

PROB. 1^a *ratione*. — Etenim imaginatio sibi repræsentat res corporeas absentes. Atqui non potest eas sibi repræsentare, nisi earum notitiam per sensum acceperit. Quare a S. Thomâ vocatur « *thesaurus formarum per sensum acceptarum* ».

(1) Hinc Horatius :

Beotum in crasso jurares aere natum,
et Tullius : « Athenis tenuè cœlum, ex quo acutiores etiam putantur
« Attici; crassum Thebis; itaque pingues (hebetes) Thebani. » (De Fato,
4).

2^o *Experientiâ*, et quidem tripliciter; tum quia imaginationi nostræ nihil aliud occurrit nisi quod olim sensu apprehenderimus; tum quia, si quis careat aliquo sensu, caret etiam imaginibus quæ ad illum referuntur: v. g. cæcus a nativitate colores sibi non fingit; tum quia indoles imaginationis pendet a perfectione relativâ sensuum; v. g. qui visu acutiore fruuntur, visibiles potius aspectus rerum sibi repræsentant.

67. *Nec objectioni* est quòd nobis repræsentamus quædam quæ non existunt in naturâ, v. g. equum alatum, vel entia spiritualia. — Quanquam enim non percepimus equum alatum, percepimus tamen *alas et equum*, licetque hasce duas imagines in totum aliquod *fictitium* componere. — Quod attinet ad entia spiritualia, v. g. Deum vel animam, non ea *proprie* imaginamur, cum nulla species corporea ipsis insit, sed ea *intelligimus per comparisonem* ad sensibilia, sicque *alienam* illis imaginem sensu perceptam accommodamus.

Dixi quod sensu aliquo perceptum non fuerit, quicumque sit ille sensus, ut refellatur error Reidii, qui asseruit nihil ab imaginatione percipi præter sensibilia quæ ad *visum* pertinent. Porrò libenter fatemur *præcipuam* imaginem esse quæ a visu originem sumit, quia ille est præstantissimus sensuum et maximè spiritualis; at negamus ab imaginatione non colligi species ab aliis sensibus acceptas, quamvis eas minùs distinctè nobis repræsentare soleamus. Nam experientiâ teste, sonorum, saporum, odorum, aliorumque id genus, nobis formamus phantasmata, eis *sociando rem* ex quâ vel sonus promanat, vel odor, vel sapor.

68. *Imaginationis utilitas permagna est.*

1^o Imago, utpote spiritualior viciniorque intellectui, *immediatè* præbet ei *materiam* ipsam in quam operetur et ex quâ species intelligibiles abstrahat; unde nihil intelligere possumus quin *convertamur* ad phantasmata.

2^o Imaginationis vi, *ideæ* generales et abstractæ, quibus ratio nititur, magis *proportionatas* ejus conditioni sese offerunt, quatenus in *similitudinibus, exemplis, figuris* repræsentantur sensibiliter, perinde ac visui occurrerent.

3^o In eloquentiâ et bonis artibus ingens est influxus imaginationis. Quippe ad bonas artes tria faciunt, scilicet *idealis* conceptio typi cujusdam, sensibilis forma quâ exprimitur, et analogia seu proportio inter ideale et formam sensibilem, ut illud in eâ ad vivum depingatur, et exterius splendeat. Porrò primum quidem et tertium ex his elementis a ratione accipiuntur vel aptantur, secundum verò pendet totum ab imaginatione.

69. *Gubernatio imaginationis.* Ratione continenda est imago, ne extra debitos limites evagetur. Nam alioquin intellectum effundet in exteriora, similitudines rerum pro rebus ipsis accipiet, nihil probabit nisi sibi repræsentetur ac rideat, malas persuasiones fovebit, imò vi quadam motrice ad mallum patrandum adducet, quia ut experientia constat, omnis imago vivida tendit ad sui externam effectorem. De illâ ergo merito usurpares dictum illud de musicâ: « *Magna ejus vis in utramque partem.* »

Atqui ratio et voluntas regere imaginationem valent, seu dividant elementa quæ ista sociavit, seu eam avertant ab ignobilioribus imaginibus, seu convertant ad nobiliores.

§ III. — De sensu æstimatorio et vi cogitativâ.

70. I. Sensus æstimatorius definiri potest *potentia quæ res sensiles apprehendit potissimum sub ratione utilis et noxii*. Sic nuncupatur eò quòd æstimationem quamdam circa rerum proprietates exercet, licet exterius non appareant.

Recentes philosophi hanc facultatem, prout belluis inest, *instinctui*, ac prout in homine viget, *intellectui* adscribunt.

71. *Assertio*: Sensus æstimatorius est *potentia sensitiva*.

Probatur 1^o *ex naturâ ejus objecti*. Nam sensus æstimatorius percipit solum rem aliquam singularem et corpoream utilem vel noxiam esse, nec habet notionem abstractam et generalem utilis et noxii.

2^o *Ex naturâ ejus subjecti*, quippe quòd inest animalibus. Etenim, docente D. Thomâ « *necessarium est animali ut quærat aliqua vel fugiat*, non solum quia sunt convenientia vel

« non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter alias quas alias commoditates et utilitates sive nocumenta; sicut « ovis videns lupum venientem statim fugit, non propter indecentiam coloris vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ; « et similiter avis colligit paleam, non quia delectat sensum, « sed quia utilis est ad nidificandum. » (1^a, q. 78, a. 4, c). — Item, vi æstimatorii sensûs, canis cognoscit *hunc* hominem ut herum suum, agnus *eam* ovem ut matrem vel nutritiam suam, apis favos conficit, et alias id genus multa.

72. Nec juvat hæc *instinctui* adscribere; vel enim nomine instinctûs significatur inclinatio quædam *cæca*, nullâ præviâ cognitione determinata; vel significatur vera cognitio, tamen non intellectiva, nec libera. *Si prius*, falsò asseritur inclinationes animalium non oriri a sensitivâ quâ pollent cognitione; phænomena enim supra dicta manifestam cognitionem præferunt. *Si posterius*, mutato nomine, admittitur vis æstimatoria. Enimvero, animalia percipiunt qualitates sensiles *naturali* quodam et *spontaneo* judicio, sine ullâ comparatione terminorum, cùm judicii sui rationem ignorent.

Cæterùm, mirabitur nemo æstimatorio sensui potissimum inesse aliquam similitudinem rationis, cùm ipse sit ultimus ac perfectissimus sensibilitatis gradus, proinque ad similitudinem facultatis superioris quadamtenus attingere debeat.

73. II. Sensus æstimatorius *in homine* accipit vim novam ex suâ *cunjunctione cum ratione*; quæ vis nova vel vis *cogitativa*, vel *ratio particularis* nuncupatur. Sic porro appellatur, quia format particularia quædam *judicia* circa res sensiles, imò attingit *naturam* individuum ut individuum: v. g. *hunc* hominem, prout est hic homo (1).

(1) S. Thomas sic explicat differentiam inter *cogitativam* et *æstimatoriam*: « Cogitativa apprehendit individuum ut existens sub naturâ communi, quod contingit ei, in quantum unitur intellectivæ, in eodem subjecto; unde cognoscit hunc hominem, prout est hic homo, et hoc lignum, prout est hoc lignum. Æstimatoria autem non apprehendit aliquod individuum, secundum quod est sub naturâ communi, sed solum secundum quod est *terminus aut principium* alicujus actionis vel passionis, sicut ovis cognoscit hunc agnum, non in quantum est hic agnus, sed in quantum est ab eâ lactabilis, et hanc herbam, in quantum est ejus cibus.

Attamen ratio ista particularis specificè non differt a sensu æstimatorio, et contrâ, specificè differt a ratione *intellectuali*, quia ut D. Thomæ verba usurpemus, ratio particularis « est « collativa intentionum (propriatum) *individualium*, sicut « ratio intellectiva est collativa intentionum *universalium*. » (*loc. cit. sup.*)

§ IV. — De memoriâ.

Dicemus 1^o de memoriâ, 2^o de reminiscentiâ, 3^o de associatione imaginum et idearum.

I. De memoriâ.

74. *Definitio memoriæ*. — Memoria est potentia quâ anima suas cognitiones conservat, atque ut prius a se habitas recognoscit. Unde proprium ejus objectum est præteritum, sub ratione ipsâ præteriti.

Quapropter erravit Dugald-Stewart, cùm censuit notam temporis inveniri quidem in memoriâ, si versetur circa *eventus*, non autem si versetur circa *res*, cùm eæ adhuc existere queant. At præteriti recordari dicimur, non quia præteriit res cujus meminimus, sed quia præteriit tempus quo illam primùm cognovimus; memoria enim refertur solum ad pristinam cognitionem, eique indifferens est existat adhuc vel existere desierit res olim cognita.

75. *Species memoriæ*. Duplex distingui debet memoria: alia quidem *intellectiva*, quæ ab intellectu specificè non differt et de quâ infra dicemus, ubi de intellectu; alia autem *sensitiva* (1), quæ et inest animalibus, saltem perfectioribus, et quæ tenenda est ut potentia *specialis*, ab aliis potentiis

Unde alia individua, ad quæ se non extendit ejus actio vel passio, nullo modo apprehendit suâ estimativâ naturali. Naturalis enim æstimatoria datur animalibus ut per eam ordinentur in actiones proprias vel passiones, prosequendas vel fugiendas. » (In II *De animâ*, lect. 13).

(1) De variis memoriæ sensitivæ *varietatibus*, cf. *La Tête et le Cœur*, p. 67.

sensitivis realiter distincta, cum habeat objectum proprium et distinctum (1). De illâ sit sequens

76. PROP: *Memoria est proprie potentia sensitiva.*

Probatur 1° ex naturâ ejus objecti. Nam, ex dictis, versatur circa præteritum, sub ratione ipsâ præteriti. Sed cognoscere præteritum, ut præteritum, est facultatis sensitivæ; præteritum enim, quâ tale, duas individuantes sensilesque notas induit, loci nimirum et temporis. Econtra, proprium intellectûs objectum est universale, quod naturâ suâ abstractit a loci et temporis conditionibus (Cf. S. Th., *Qq. disp. de mente.*, q., 10, a. 2, c).

2° *Ex arctâ dependentiâ ejus a conditionibus sensibilibus;* v. g. ab ætate et valetudine. Nemo enim nescit illam promptissimam esse in infantibus, in senibus autem quàm maximè tardam et pene emortuam, et quibusdam morbis, vel læsionibus, si afficiant cerebrum, propè extingui; v. g. amittitur memoria quorundam verborum, sonorum, imaginum, aut motuum ad loquendum, ad scribendum; hinc *amnesia* et *aphasia*. Porrò sanato cerebri morbo, statim memoria recuperatur; econtra quædam cerebri affectiones memoriam suscitant et mirè augent (2).

II. De reminiscentiâ.

77. In *triplici* statu anima versari potest relativè ad præteritas suas cognitiones: vel enim istæ eam omnino fugiunt,

(1) « *Necesse fuit ad hoc potentiam ab aliis distinctam ordinari, quia actus aliarum potentialium sensitivarum est secundum motum a rebus ad animam; actus autem memorativæ potentiæ est e contrario secundum motum ab animâ ad res; diversi autem motus diversa principia motiva requirunt; principia autem motiva potentiæ dicuntur.* » (S. Th., *Qq. disp. q. unica de Animâ*, a. 12, c).

(2) Attamen, monente D. Thomâ, aliquo modo ad rationem accedit memoria. « *Sensus est singularium, quæ sunt hic et nunc. Et ideo sensus, secundum propriam rationem, non est cognoscitivus nisi præsentium. Quod autem sit aliqua virtus sensitivæ partis, se extendens ad alia, quæ non sunt præsentia, hoc est secundum similitudinariam participationem rationis, cujus objectum est ubique et semper. Unde, convenit solum animalibus perfectis, utpote supremum quoddam in cognitione sensitiva.* » (*De sensu et sensato*, lect. 1^a).

et tunc *oblivisci* dicitur; vel ei distinctæ tanquam prius habitæ occurrunt, et tunc *recordatur*; vel demum eas partim recognoscit et partim dubitat, et jam *reminiscitur*. — Anima verò hoc medio statu non contenta, reminiscentiæ ope conatur ad plenam suarum præteritarum cognitionum memoriam assurgere. Quod ut assequatur, quadam utitur *venatione*, ut ait D. Thomas: « *Reminiscentiâ venamur, id est, inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priori quod in memoriâ tenemus; puta si quærit (aliquis) memorari id quod fecit ante quatuor dies, meditatur sic: hodie feci hoc, heri illud, tertiâ die aliud, et sic secundum consequentiam motuum assuetorum, pervenit resolvendo in id quod fecit quartâ die.* » (*De Mem. et remin.*, lect. 1).

78. *Reminiscentiâ dupliciter differt a memoriâ*, tum quòd est præsertim activa, imò importat *discursum* et quamdam ratiocinationis imaginem, dum ab uno cognito ascendit ad aliud; tum quòd a *voluntate movetur* ut ex alio ad aliud discurrat. Unde Dulgald-Stewart memoriam *spontaneam* vocat, reminiscentiam verò *voluntariam*.

79. Qui tamen deceptus est cum reminiscentiam esse voluit *intellectualem*; ea enim, licèt soli homini conveniat, et accidentalem, in illo, perfectionem ex conjunctione suâ cum intellectu hauriat, ejusdem tamen *generis* est ac memoria. Quippe ultra particulare minimè porrigitur, quod propria est tessera facultatis sensibilis.

III. De associatione imaginum et idearum.

80. *Associationis notio.* — Associatione hic intelligitur *colligatio vi cujus imagines vel ideæ ita aliæ aliis coherent, ut aliæ alias sponte revocent in mentem.* Associatio igitur pro fundamento habet certam *relationem* quæ varias imagines vel ideas inter se colligat.

81. *Associationis leges.* Causæ vel leges associationis, ut cum recentibus loquamur, pendent igitur a vario relationum genere quæ inter plura possunt haberi. Porrò vel relatio est *realis et objectiva*, vel est merè *subjectiva*, aut innixa in quadam *conventione*.

Si prius, vel adest relatio *dependentiæ*, v. g. relatio causæ « ad effectum, sicut cum aliquis memor est patris, et per « hoc occurrit ei filius »; vel est relatio *similitudinis* aut *contrarietatis*, sicut quando aliquis memoratur de Socrate, et per hoc occurrit ei Plato, qui est similis ei in sapientiâ... vel si memoretur Hectoris, et per hoc occurrit ei Achilles (1) »; vel est relatio *continuitatis* cum in spatio, tum in tempore, sicut se revocant imagines rerum quas in eodem loco vidimus, vel quæ sibi immediatè successerunt. Quare tres distinguuntur *causæ* seu *leges* associationis *objectivæ* et *realis*.

Si posterius, i. e. si relatio sit mere subjectiva, aut nitatur in quadam conventionem, qualis est v. g. relatio inter *olivam* et *pacem*, jam ad certos numeros revocari nequit, sed totuplex esse potest, quotuplex inter plura statui vel fingi potest relatio, seu ab uno homine, seu a diversis hominibus.

CAPUT III

DE INTELLECTU (2)

De intellectu, nobilissimâ illâ hominis potentiâ, duplex occurrit disputatio, alia *generalis*, quâ intellectûs naturam, objectum proprium, modumque operandi universaliter perscrutemur, et *specialis* aliâ, quâ diversas ejus functiones et singulas operationes sigillatim consideremus.

(1) S. Thomas, *de Memor. et reminisc.*, lect. 5^a.

(2) Cf. P. Liberatore, *Théorie de la connoiss. intellectuelle*.

ARTICULUS I

De intellectu generatim sumpto.

82. *Notio intellectûs*. Nomen intellectus, ait Angelicus, quamdam intimam « cognitionem importat; dicitur enim in « telligere, quasi *intûs* (juxta alios, *inter*) legere. » (2^a 2^æ, q. 8, a. 1, c).

Quoad rem, intellectus definiri potest: *facultas cognoscendi res prout universales et immateriales*.

Dicitur 1^o facultas cognoscendi, quibus verbis genus ejus indicatur, quo convenit cum sensibus.

Dicitur 2^o cognoscendi res prout universales et immateriales; unde notatur differentia ejus specifica. Dum enim sensus externa *phænomena* seu facta et physicas qualitates percipiunt, intellectus factorum *legem* et *causam* apprehendit et pertingit ad ipsam rerum essentiam.

Dicemus 1^o de intellectûs naturâ, 2^o de illius objecto, 3^o de illius actu, 4^o de naturâ intellectionis, ejusque discrimine a sensatione.

§ I. — De intellectûs humani naturâ.

83. *Assertio*: *Intellectus est facultas spiritualis*.

Probatur 1^o ex ejus objecto. Nam intellectus ad notiones universales assurgit. Porrò ad tales notiones assurgere haud posset si penderet ab organo; quia facultates organicæ ex ipsâ naturâ organi sui habent ut *determinentur ad unum*: v. g. oculus ad colores, auditus ad sonos, et sic de aliis; quippe omne organum ita ad suum munus aptatum est, ut ad alia sit omnino ineptum. — Insuper, multa cognoscit omnino spiritualia, uti Deum, animam, virtutem, quæ sub nullum sensum cadere queunt.

Probatur 2^o ex modo quo agit; pollet enim vi se reflectendi super seipsum suosque actus intuendi; hoc autem nulli potentiæ organicæ competit aut competere potest. Et ratio est quia, vi reflexionis, cognoscens in seipsum redit conversione